



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Octaua Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

Septemb. 8.

NATALES

bæorum comparandum Iacobus Meierus scribit, cum Richardus rex Anglorum ad recuperandam ciuitatem sanctam exercitum duceret, eum cum Hannonijs suis, Flandris, & Brabantis, in postrema acie Saladini hostis impetum egregie sustinuisse, suaque morte victoriam emisse, ingenti edita barbarorum cæde.

Octaua Septembris.

De translatis sancti Adriani reliquijs.

Ex libris & informatione Gerardi-Montensium.

Nicomediæ, natalis sancti Adriani martyris, qui post multa supplicia, martyrium crucifragio consummauit, sub Diocletiano Augusto. Huius martyris reliquiæ, vt multorum synteritas attestatur, allatæ sunt trans-montanis partibus in villam ^a *Rauli-court*, Gerald-montensibus vicinam. Quæ ob merita & beneficia martyris, amplissimis est terminis dilatata, & ibidem ecclesia præbendarijs inuestita Canonicis. Sed cum peccatis hominum exigentibus, villæ & oppida destruerentur, ecclesiæ etiam prophana temeritate spoliarentur, Rotnacensis ecclesia suo sancto Hermete est priuata, diuina autem clementia sancto Adriano tutissimum receptaculum prouidit. Unde tandem furto ereptus est à quodam Eubaldo presbytero. Qui patronum venalem fecit in Gerald-monte viginti quatuor marcis. Cum autem monasterium & populus ad tantum pretium expauescerent, cum thesauro Bruxellam recessit. Vnus ex plebe Theodoricus, dicebat se libentius crassam vaccam emturum, quàm ossa arida. Qui paulo

paulo post obiit, & indecenter inter ecclesiam humatus est: sed rugientibus, vt creditur, dæmonibus, cadauer abiectum est. Interea abiens Bruxellam Eubaldus, in via est in visu hebetatus, vnde ad montem monasterio contiguum redijt, & ex varijs signis didicit Dei voluntate corpus sacrum ibi permanurum. Regreditur proinde ad villam, & conuentione facta, duodecim marcas à populo & quatuor bonaria terræ, sub annali censu duodecim nummorum ab ecclesia possidenda recepit. Cùm autem abbas Seuelardus & vniuersus populus exoptarent veras declarari à Deo reliquias, idipsum multipliciter sunt consecuti. Et hoc ordine gloriosus martyr monasterij patronatum obtinuit, intra Geraldimontem. Qui est Flandriæ Imperialis ciuitas, diœcesis Mechliniensis; in qua est item dicta abbatia ordinis sancti Benedicti, valde celebris, propter præsentiam & beneficia tanti martyris. Ad eius enim memoriam frequens est populorum concursus: imo ob illustria martyris beneficia, multi vrbeni non aliter nominant, quàm Ad sanctum Adrianum in Flandria. Secundaria festa annuè proclamantur. Sexto Calendas Iunij, aduentus sancti Adriani martyris ad nos anno millesimo centesimo decimo: & quarto nonas Martij, eleuatio corporis beati Adriani martyris. Ex his allatio celebrari solet per totam ciuitatem; eleuatio verò per Decanatum. Historia martyrij exstat ad octauum diem Septembris, breuiter in Horis Romanis; fuisse apud Surium.

a. Vide Meyer. an. 1110.

Dic